



H
H. Sax. C
998

[Faint handwritten text, possibly a signature or date]



S.
ANAGRAMMA
SAXONICUM,

Cum Voto
Ad Serenissimum ac Potentissimum
ELECTOREM, &c.



Hanoviae dictum

XXV. Maii.

~~# Supp. Sax. No. 6~~

Anno Christi M. DC. LVIII.


CHRISTO SALVATORI
AUGUSTINE DONATIONIS
INVENTORI

STEFANUS DE WITTE DIX
JOHANNES GEORGIUS SECONDUS
S. I. ARCHIEPISCOPUS ELECTOR
CUM S. R. C. P. S. M. S. S. S. S. S.

FELICITER P. S. S. S. S. S. S.
XV. MAI. A. O. S. P. D. L. VII.
GRATIA A. S. S. S. S. S. S. S.

QUOD S. S. S. S. S. S. S.
ACCORDANTIA S. S. S. S. S. S.
P. S.
AD S.
S. S. S. S. S. S. S. S. S. S. S.
FRIDERICUS S. S. S. S. S. S. S.
COMES S. S. S. S. S. S. S. S.

S. S.
CHRISTO. SALVATORI.
AUGUSTANÆ. CONFSSIONIS.
INCREMENTO.
SERENISSIMUS. SAXONIÆ. DUX.
JOHANNES. GEORGIUS. SECUNDUS.
S. R. I. ARCHIMARESCHALLUS. ELECTOR;
TEMPLI. HUIUS. FUNDAMENTUM.
SUA. MANU.
FELICITER. POSUIT.
XXV. MAII. A. C. M. DC. LVIII.
CRESCAT! AUGESCAT! PERENNET!
QUOD. PORRO.
ACCEDENTE. AD. SUAM.
PIORUM. LIBERALITATE.
AD. FINEM. PERDUCTURUS. EST.
PATER. PATRIÆ.
FRIDERICUS. CASIMIRUS.
COMES. IN. HANAU.
&c.



AD SERENISSIMUM AC POTENTISSIMUM.

Dnm. ELECTOREM

ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΚὸν



Inzinga Hanoviae rapido qui flumine
Vallum

S ringis, & irriguis per prata canalibus
erras.

Exere ab amne caput! dumq; alta fronte penates
Saxoniae invisit Dux Excelsissimus: Euge!
Sparge rosas! tibi enim non unquam illustrior Hospes
Contigit, aut quo se Domus haec plus vindice jactet.

Ille inter trepidos rerum Imperiiq; fragores,
Dumq; novas praegnata fovet Germania motus,
Relligionis opus, flabris obversus iniquis,
Molitur, Templiq; novi fundamenta ponit,
Augustana cui Confessio consona; Divum
Atq; impendentes si qua fugat arte procellas.

Aspice quis vultus splendor! quam seria fundit
Lumina! quam placida haec divinae mentis imago!
Huius Consiliis Germania nostra recrescit,

Atque

Atque Interregni Patriæque reguntur habenæ,
Pristinus inque suo sobolescit Candor honore.

Hoc opus orditur Sacris, Benedictio namque
Nulla nisi à Summo sumenda est Numine! Princeps.

Concio finita est! Heros dum maximus arcem
Egreditur, Templique novos operisque labores
Inlustrat, primumque manu locat ordine Saxum!

Hoc agit! Et Patriæ communi ut consulat
almum

Imperio revocare Caput viresque ministrat
Collegisque animos. Summo res Principe digna!
Indeq; Danubium atque Albim conjungere Rheno
Tentat; Et has Pacis curas extendit in Arcton.

Nescit enim mens limitibus divina teneri;
Sed maria & terras Germano concipit Orbe.

O Te Saxoniam servent pia Numina Princeps!
O Tu Germanis (invictis gentibus olim,
Eheu! sed miserè nunc discordantibus una
In Patria!) Imperio nobisq; in secula vivas!

Has Tibi cæligenas laudes Hanoia quotannis,
Huncque diem æterno cantabit carmine festum:
Imperium donec meliori sorte fruatur,
Atque Hanoia Patrem Te Tutoremque salutet.

Dei Gratia, Johannes, Georgius Se-
cundus, Dux Saxoniae, Juliae,
Cliviae & Montium. S. R. I. Ar-
chimareschallus, Elector, atque,
post Excessum Divi Imperato-
ris Ferdinandi Tertii Augusti
Vicarius. Landgravius Thurin-
giae, Marchio Misniae, Superio-
ris & Inferioris Lusatiae. Burg-
gravius Magdeburgensis. Co-
mes de Marca & Ravensborg,
Dominus in Ravensteyn.

Anas

Hic nunc datur nobis
Avitæ Religionis
Avitarumque Regionum
Ex asse hæres!

Hic Augustanæ Confessionis
Et Veritatis dignus Defensor!

Hic Professorum Asylum!

Justitiæ Columen!
Divina Juris Regula!

Regia Virtutis sedes!

Decus Martis!

Adgnata Germanorum Gloria!

Sacri Imperii dextra!

Orbis Numen!

Adde:

Gregis sui Rex pius!

Amor & Cura Cæli!

In Jubilo!

Sere-

Serenissime ac Potentissime Elector,
Domine Clementissime!

Finita nunc prisco etiam Instituto Re sacra, peractisq; Auspice Deo primis quæ novo Templo debebantur solennibus; opera nobis danda est, ut Aeterno Deo laudem dicamus, opusq; precatione commendemus: Ut voto exposcamus: ut Excelsissimo Principi grates solvamus gratulatione.

Debebam id ego quidem profundiore aliqua meditatione, uberiori oratione, solenni quoque peragere ritu; deterrent consummatorum, quos intueor, quos veneror a que admiror, virorum ingenia atque judicia: præpediunt minoram, quas ad circum stare video, gentium confluxus atque turmæ: Negant, (cùm in humaniore literatura majora non contingant mihi otia) breves horæ.

Pignus tamen hic fidei nostræ offero; sed chartaceum, sed exile, nempe Carmen: Anagramma adjungo, paucorum opus dierum; neq; ex Apollinis prædictionibus, neque ex Augurum observationibus antiquo more haustum; sed tamen prælagii, sed oraculi, sed divini sensus plenissimum: melius quoque ac diuturnius hominum in animis, quàm in marmore monumentum. Nullum cernes, **Excelsissime Princeps!** ad veritatem, ad divinitatis alicujus originem Anagramma accedere propius! Ita dictum, ut nec doctore alio opus habeat, nec divinatore; tam obvium singulis, tam perspicuum omnibus, ut cælitus doctum atque inspiratum videatur.

Abstinuisssem **Serenissime Elector** literaria Tibi hæc offerre: Principi maximo minima; Principi summo infima; Electori Potentissimo rem non æquâ satis trutinâ ponderatam.

Animum addebat Tua, humaniorum literarum ut virtutum omnium vindicis maximi, Benignitas: Jubebat idem Illustrissimus Comes meus, Dominus meus: Exemplum præbebat magnæ authoritatis, majoris doctrinæ vir Nicodemus Frischlinus, qui Divo Rodolpho II. Imperatori Augusto Anagramma quoque, nectale quidem, nisi mea me fallunt, inscribere ausus est, nec sine applausu: Invitabat maximè, **ô Princeps!** Nominis Tui Numen, oraculorum ubertate pro bis omnibus commendatum:

Parvum Anagramma est, Breve Anagramma est, dicent Censores mei, ideoque in manus venire **Electoris Serenissimi** nec merebitur, nec admittitor. Ego verò, cùm æquè similes mihi ut Frischlino æstimatores contingent, regeram, esse magni nominis Anagramma, ideoque magni voluminis ad instar; nec renuam, breve quidem esse; sed Deos alloqui, tutelares cum primis, verbis antiquitus brevissimis, sed tamen cordatissimis, nec aliter licuisse:

Itcuiffe: Neque verò parvum reputavero laborem hunc, qui **Excelsissimi Ducis** Nomen nativis literulis suis, alia quidem veste, loquenti scilicet in pìctura, alio quoque & quidem Numinis ductu ductum repræsentat. Qui labor meus, an prosperè cessurus sit, Tuæ Clementiæ **Princeps Prudentissime**, Tuæ sententiæ **Princeps Clementissime**, humiliter atque cum voto omnimodæ subjectionis resigno. Vivet si Tu volueris; Si jufferis; peribit.

Cresce Serenissime Elector! Augesce Potentissime Dux! Perenna Excelsissime Princeps! Crescat quoque Opus quod jam modo, Gloriosissimum imitatus Parentem, peregisti! Augescat Idem! Perennet! Det Deus, cuius honori, **O Princeps!** nunc ut David alter famulatus es, ut Consilia Tua succedant prosperè, qui Cælestia cæteris facultatibus omnibus prætulisti maximè! Ut Benedictio Domus Tuæ Benedictioem excipiat! Felicitas superet Felicitatem! ut animus Tuus Pacis Christianæ plenissimus indies à summo Principio perficiatur! Ut Excelsissimam sobolem maiores semper Nepotes sequantur! Ut Ecclesiæ hostes efferatam mitigare velint sævitiam, aut hos in tyrannide sua Summus rerum arbiter confundat, contundat, conterat! Ut Saxonia Tua, & in hac Germania tota crescat! augescat! perennet! Dixi.

Serenissime ac Potentissime Elector-

**Humilimus subjectionis voto
servus**

Illüstriff. Comitum in Hanau Consiliarius

Johan-Michael Moscherosch.

Abfang.

Auff den Hochlöblichsten Rauten-Granz.

Hanau wird sich heut seelig preisen!
Dem Rauten-Granz die Dienst' erweisen
Die Es zu leisten ist verpflichtet.

Den Rauten ist für Bisse zu Trauen/

Sie Trauen fest zum Kirchen bauen:
Drumb ist Hanau auff Sie gericht.

E N D E



[Blank white label]